

aliquid diripiunt; ita, vt scriptores veteres ipsi †) *διαφορεῖν* et *διαρπάζειν*, vt verba idem significantia, posuerint. Quae quidem verbi potestas quum paullo rarior sit neque adeo omnibus satis nota: extiterunt Critici superiorum temporum multi, vt Vuolfius ††) et alii, qui pro verbo *διαφορεῖν*, in libris veterum, verbum *διαφθείρειν* reponendum censerent; quo ipso verbo, nescio an altera quoque eius forma *διαφθορεῖν*, Grammatici antiqui illud explanasse videntur, vel inter versus, vel in marginibus, librorum. Quae interpretamenta quum ab imperitis librariis fere substituta fuerint pro verbo germano: neminem speramus futurum, qui non solum intellegat facile, quomodo in alios Codices Palaephathi irrepsit *διαφθόρου*, in alios *διέφθειρον* venerit, sed videat etiam atque fateatur, *διέφθόρου* genuinam esse loco Mythici illo neque supposititiam scripturam; praefertim quum verbum *διαφορεῖν* naturae et rapacitati Harpyiarum longe accommodatissimum videatur. Sed aequae facile credimus posse doceri, primo et trigesimo Capite Palaephathi, quo sententia Fabulae Phrixi atque Helles explicatur, Aldinam lectionem, *ἦν δὲ αὐτῷ ἀνὴρ ἐπίτροπος τῶν χρημάτων*, non debuisse ab eodem Dresigio reiici, et commutari scriptura Codicum Oxoniensium aliorumque, *ἐπίτροπος τῶν πραγμάτων*. Etenim cum ipsa origine vocabuli *χρήματα*, tum multo etiam magis vsu loquendi veterum,

†) Vid. Herodo. 1, 88

S. p. 590. 617 To. 1 et ad Herodo. 1, 88: Albertus ad

††) Vid. Taylorus ad Demosthen. παραπρεσβ. p. 226 To. 2: Vuesfeling. ad Diod.

Hesych. p. 1463 To. 1: Marcland. ad Max. Tyr. p. 664 f.